D E O D U C E

MEDITATIO S. EPISTOLÆ

DOMINICÆ SEXAGESIMÆ:

Additis S. Patrum dictis Quæstionumq; aliquot decisione, ad uberiorem textus cum opus est explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

QUAM

In Regiâ Aboënsi Academiâ,

PRÆSIDE,

ÆSCHILLO PETRÆO, S.S. Theolog. Doctore & Episcopo Aboënsi,

Examini subjicit in Auditorio Majori, horis solitis
Ad diem 3. Decemb. Anni 1654.

JOHANNES CHRISTIERNI
Austro-Finlandus.

Ambrosius hunc in locum.

Hoc est secundum carnem gloriari, nobilitatem sibi carnis vendicare.

Anshelmus in hunc locum.

Si gloriandum est Christiano, in humilitate gloriandum est, de quâ crescit apud Deum: sed pseudo-Apostoli, quia non habent merita passionum, in quibus gloriari possunt, gloriantur in sublimitate generis.

ABOÆ,

Impressa â PETRO Hanson/ Acad. Typog.

Nobiliſſimo, Reverendis, Clariſſimis, Spectatiſſimis ac Prudentiſſimis Viris:

DN. ERICO PETRI Piſtolhielm de Haudols &c. Careliæ exercitus Equeſtris Majori fortiſſimo, Avunculo meo ſumma animi devotione colendo.

DN. CHRISTIERNO S Agricolæ, Paſtori in Uſchela attentiſſimo.

DN. M. SAMUELI N. FRISIO Scholæ Aboënſis Conrectori pervigili, affini & hoſpiti ſuo ætatem colendo.

DN. GREGORIO THOMÆ Præpoſito & Paſtori in Biörnborgh meritiſſimo.

DN. CHRISTIERNO M. olim diſtrictus Halichoënſis Prætori fideliſſimo, parenti ſuo ſummè obſervando.

DN. CASPARO P. Avunculo ſuo colendo.

Sacrum hocce & Academicum tyrocinium in debitam obſervantiæ, honoris & gratitudinis teſſeram, devotè, reverentèr, filialiter, & officioſè inſcribere ac litare, ut debuit, ita & voluit,

Reſpondens.

MEDITATIO S. EPISTOLÆ.

DOMINICÆ SEXAGESIMÆ

In ſanctæ & ſummè laudandæ Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus Sancti nomine.

PSal. 40. v. 9. 10. 11. introducit Pſalmiſta in his verbis loquentem ipſum Salvatorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cui David etiam priorem in hoc Pſalmo concionem adſcribit. Hoſtiæ & oblationes non placent tibi, aures vero mihi aperuiſti. Noluiſti holacauſta vel ſacrificia pro peccato. Dixi Ecce in libro de me ſcriptum eſt, voluntatem tuam O DEUS libenter facio, & Lex tua in corde meo. Eidem Domino noſtro Jeſu Chriſto, adſcribit Pſalmiſta etiam hæc verba quæ ex hoc pſalmo produximus. Quibus verbis ſalvator deſcribit voluntatem ſuam optimam concionandi in magnâ Eccleſiâ videlicet per totum mundum per ſuos APoſtolos quos juſſit ire in mundum univerſum, prædicere Evangelium omni creaturæ quodque efficaciter procederet Chriſti per Apoſtolos concio, ut hi non ſinerent ſibi os obturari & quid in hoc poſſunt ad Deum provocare, quod ille poſſit Teſtimonium ferre de hâc illorum ſedulitate, quòd non occultent juſtitiam DEI in cordibus ſed publicè & liberè differunt de hâc, ita etiam de Dei veritate & ſalute, non occultant Dei bonitatem & fidelitatem in magnâ illâ Eccleſia. Deindè refert Pſalmiſta, Apoſtolorum

Christi verba, quod non confidunt sibi ipsis, in annunciando Evengelio & sustinendis propterea adversitatibus variis, sed quod Deum orent ut adsit sua misericordia, ut bonitas Dei eos & fidelitas custodiat semper. Quantoperè opus habuerunt Apostoli in suo officio, misericordia, bonitate & fidelitate, ostendunt diversæ eorum tribulationes, quas in hoc officio passi sunt. Harum vero tribulationum satis longum catalogum exhibet Epistola Pauli, quam jam explicandi est animus.

ORemus etiam Deum ut hanc Epistolam ita meditari queamus ut cedat in nominis Divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinæ & bonorum operum, in spem & fiduciam, & tandem in æternam beatitudinem, dicemus igitur Pater noster &c.

Textus 2. Cor. 11. & 12. cap.

FRatres, libenter sufferti is insipientes cum sitis sapientes. Sufferti is n., si quis vos in servitutem adigit, si quis exedit, si quis accepit, si quis attollit sese, si quis vos in faciem cædit. Juxta contumeliam loquor, perinde quasi nos infirmi fuerimus. Imo in quocunq; audet aliquis (per insipientiam loquor) audeo & ego: Hebræi sunt, sum & ego: Jsraëlitæ sunt, sum & ego: Semen Abrahæ sunt, sum & ego: Ministri Christi sunt (desipiens loquor) sum & ego: In laboribus copiosius, in verberibus supra modum, in carceribus abundantius in mortib' frequèntèr. &c. ad v. 10. cap. 12.

Exord.

Exord.

Res eſt Apoſtolo S. Paulo in hoc capite, ut ex præcedentibus patet, cum ſuis auditoribus Corinthiis, quos accuſat Apoſtolus, quod ſubintrantes falſos Apoſtolos admiſerint & docere apud ſe permiſerint. Cum ſint tales Apoſtoli operarii ſubdoli, & ſaltem ſpeciem habentes Apoſtolorum Chriſti re verâ non ſunt, nec hoc mirum ait, quòd ſe gerant pro Apoſtolis Chriſti, quandoquidem inquit & Sathanas transformat ſe in angelum lucis, quid magnum inquit ſi ſervi ejus transformant ſe in ſervos juſtitiæ, quare ſitis ſecundum opera eorum. Ægrè fert Apoſtolus, quod Corinthii decipiantur gloriatione iſtâ Pſeudo Apoſtolorum, & Paulum habuerunt pro rudiquodam & imperito. Oſtendit itaq; quod & ille habeat unde gloriatur ſecundum carnem, coram Domino vero ſe nolle gloriari, ait: vult autem ut Corinthii non minus ipſum audiant gloriantem quam alios. Quia inquit, libenter ſuffertis inſipientes ipſimet ſapientes, ſuffertis inquit, ſi quis vos ſervos faciat, devoret, vobis aliquid aufert, ſi quis efferat ſe, ſi quis vos in faciem verberet. Ergo vult ut ſe etiam ferant, non nihil eos corripientem & ſua etiam referentem. Deindè pergit etiam ſuas laudes perſtringere, ubi iterum præmittit quandam excuſationem, quod ſi quidem infirmus, interim audet etiam aliquid dicere. Quod ſit & ille Ebræus, quod ſit Iſraelita, quòd ſemen Abrahami, quod ſervus Chriſti & quidem excellentior aliis, quod probat inde, quod plura paſſus pro Chriſto quam alii. Recenſet vero varias tribulationes corporis. Tandem etiam curas ſuas communes omnium Eccleſiarum &

compaſſionem ſuam cum triſtibus & malè habentibus; provocat ad DEUm patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſcit, qnod non mentitatur. Excitamur ad orandum: ſanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, ne inducas nos in tentationem, ſed libera nos â malo.

PARTES.

1. *De extrinſecarum calamitatum enumeratione & prærogativis Pauli præ pſeudo Apoſtolis.*
2. *De quotidianis Apoſtoli moleſtiis intrinſecis.*

PRIMA PARS.

In quâ meditamur:

I. Patientiæ Corinthiorum inferendis falſis Apoſtolis deſcriptionem.

Libenter, inquit, ſuffertis inſipientes, auditis Pſeudo Apoſtolos, homines inſipientes, & ſtultos, qui ipſi errant de via ſalutis & vos ſeducunt, ergo & me ut inſipientem ſuffertis, credo. 2. Quod libenter ferant ſi eos in ſervitutem redigant. Non loquitur Apoſtolus de ſervitute Politicâ, liberi enim exiſtentes tunc minimè permitterent ſe fieri ex liberis mancipia & ſervos, ne autem hoc fieret omnibus mundi temporibus, varia & horribilia bella exorta ſunt, & homines â ſuis victoribus in miſeram ſervitutem deducti; ſatis felices interim ſe exiſtimantes, ſi inde vivi evaderent, quamvis fracti. Intelligit itaq; Apoſtolus ſervitutem quandam ſpiritualem, quæ conſiſtit in colendis Diis fictitiis & idolis, lapidibus & lignis, quæ miſerrima eſt ſervitus, manent in tenebris ſpiritualibus, quas ſcriptura S. umbram mortis vocat.

cat. Act. 7. Luc. 1. Pseudo Apostoli seduxerunt Corinthios â recto tramite, persvadentes ut Ethnicorum colerent idola & fierent servi non DEI, sed Diaboli. 3. Quod vos suffertis libenter, si quis eos devoraverit, omnes opes vestras consumpseritis in Pseudo Apostolos; nominantur ipsi Corinthii, pro eorum facultatibus, quas contribuentes Corinthii, ad illorum falsorum doctorum liberalissimam sustentationem. 4. Quod sufferant & quidem libenter, si quis eos decipiat, etiam præter necessariam Doctorum illorum falsorum sustentationem, volunt habere Magna donaria. non curantes quid vobis sit reliquum, secus quam Pauli mens erat, is enim neminem spoliare voluit, nec quæsiturus donaria auditorum, sed ipsos auditores ipsorũ cõmoda 5. Quod libenter suffertis, inquit, si quis extollatse super vos, contemnat vos, etiam contumeliis afficiat in hoc etiã estis patientes. 6. Quod sufferant, si quis eos in faciem verberet, tam ignominiosa verbera, quæ faciei, nobili corporis humani partipræbentur. Itaq; Christo maximè probri loco erat colaphi illatio. Vult Apostolus dicere, quod si hoc tentarent Pseudo Apostoli, utiq; vos nos accusaretis sed placidè excusaretis, quod malè haud factum moneo.

L. C. Non omnis patientia, mititas & mansvetudo probanda, illa videlicet non perferenda, quæ potest ferre deceptores & præsertim in fidei negotio, cum his non colludendum, jugum non ducendum. Quæ communio justitiæ cum iniquitate, quæ communio lucis & tenebrarum? non conveniunt Christus & Belial; quæ portio fidelis cum infideli. 2. Cor. 6. v. 14. seq. adfinem. Psal. 139. v. 19. seq. ad finem. Psal 15. v. 14.

II. Ad

II. Ad quem finem Apoſtolus hæc recitat de Corinthiis. Hæc dico juxta ignomiam, quaſi & nos eſſemus infirmi; q. d. Ego hanc veſtram manſvetudinem, mititatem & patientiam cum veſtris ſeductoribus non probo, nullam meremini hinc laudem, probro eſt vobis hoc & colluſio cum Pſeudo Apoſtolis.

L. C. Non ſemper licet extollere & commendare ſuos auditores, quæ oratio quidem omnium eſſet jucundiſſima & dicenti & auſcultanti, ſed aliud vita & mores auditorum poſcunt: ſed aliquando frangendus baculus paſtoralis amænus ille, & aſſumendus durus. Zachar. 11. Studendum non eſt bono paſtori, ut placeat auditoribus & quærat illorum amicitiam cum Dei inimicitia; de quâ Apoſtolus ait alibi: Si hominibus placere ſtuduiſſem, Dei ſervus haud eſſem. Sic invehitur Apoſtolus in Galatas, appellans eos, ſtultos Galatas; ſtulti Galatæ, inquit ſtulti quis faſcinavit ut non obedaitis, quibus Chriſtus ob oculos deſcriptus & in vobis crucifixus; hoc ſcire volo â nobis, accepiſtis ne Spiritum ex operibus legis vel ex auditu fidei? ita ſtulti eſtis, ut initium facientis in ſpiritu, in carne conſumere vultis! Hos ſuos Galatas commendat & laudat Apoſtolus, quod aliquaudo fuerint Evangelio addicti, ut Paulo hoc añuncianti etiam oculos ſuos effoſſos, ſi poſſibile fuiſſet, dederint. Cap. 4. v. 15. Sed jam inquit dicens vobis ob veritatem factus ſum veſter inimicus, non decet ita eſſe. Et 1. Cor. 4. v. 21. Quid vultis, inquit, veniam ad vos cum virga vel in charitate & ſpiritu manſvetudinis? Hæc immanior & acerbior concio Doctorum Eccleſiæ, pro inimicitiâ non habenda, nam veritatem profert.

III. Prærogativarum Pauli

enumerationis modum. 1. autem dicit ſe etiam habere, unde glorietur, ſi liceret ei ut inſipienti gloriari: atq; ita in genere profitetur ſe non minorem. Pſeudo Apoſtolis, illis tantoperè gloriantibus, dicit enim ſi quis unde libet, cupit gloriari & ſe efferre inveniam & ego aptam laudandi materiam, quamvis invitus hoc faciam. 2. Specialius dignitatem ſuam deſcribit, quod ſit Ebræus æquè ac reliqui, quod ſit ſicuti reliqui Iſraëlitæ, quod ſit etiam ſemen Abrahæ. Atquè in his oſtendit ſe æqualem, nec ſuperiorem nec inferiorem, quia hanc æqualitatem habet. 3. Inſtituit collationem in hoc, in quo poteſt eſſe & eſt major aliis illis falſis Doctobus: Sunt, inquit, ſervi Chriſti, in inſipientia loquor, ſz. juxta illorum arbitratum, Ego verò ſum amplius, hic ſupero illos. Hanc præeminentiam præ illis, probat recitatione laborum, periculorum, tentationum, perſecutionum. &c.

L. C. 1. Videmus exemplo Apoſtoli Pauli aliquando noſtra bona opera eſſe depingenda & enumeranda in Eccleſia, ad eximendam animis auditorum aliquam ſiniſtram opinionem de noſtra converſatione. Ita Chriſtus proteſtatur adverſus ſuos adverſarios Judæos, Scribas & Phariſæos: Quis, inquit, ex vobis arguet me de peccato, ſi veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo eſt, verbum Dei audit. Cum vocant illum Samaritanum & dœmonium habere dicunt, negat hoc & dicit eſſe blasphemiam. Itaque vivendum ut tutò ad illa provocare queamus, & innocentiam noſtram & calumniantium falſitatem inde manifeſtam faciemus. Quia verò hic facilè eſt modum excedere

in commendatione & laudibus propriis, orandus Deus ut doceat nos tempus loquendi & tacendi & modum respondendi adversariis. Deus dabit sapientiam petentibus.

L. C. 2. Præcipua commendatio ministrorum Ecclesiæ hæc est, ut multum laborent in plantanda Christi Ecclesia, sint fideles, sint ii dispensatores mysteriorum Dei, ergò sint fideles, non detrectantes plurima pati pro Christi nomine, verbera, captivitates, pericula, mortis flagellationem, lapidationem, naufragia, peregrinationes, pericula in fluminibus, inter latrones, inter notos & ignotos, in civitatibus, in sylvis, famem & sitim, vigilias, frigus & nuditatem, constabit verò DEum retributurum omnia in resurrectione justorum, gaudeant & exultent, merces eorum magna est in cœlis, tristitia eorum vertetur in gaudium.

L. C. 3. Auditores considerantes in quam molestum vitæ statum præcipitantur verbi Dei ministri, sint humani erga illos, compatiantur doloribus eorum, afficiantur eorum adversitatibus, orent pro illis Deum, ut sibi constent, non deficiant in die malo. Tales auditorum animi in suos Doctores Deo placent, & DEus recompensabit hanc benevolentiam. S. Paulus in multis sibi auxilio fore dicit, auditorum precationem pro se. in Epistola ad Phil: 2. ℣. 24. Coll: 4. ℣. 3. Sperat se posse venire ad suos auditores per illorum preces pro se. Et hoc est etiam meminisse Doctorum suorum, qui eos verbum Dei docuerunt.

L. C. 4. Comprobat Catalogus passionum Pauli, verùm esse, quod Syrach scribit cap. 40. Quod sit misera & ærumnosa hæc vita. ℣. 1, ad finem capitis. Omninò

mninò itaq; ſecuritas fugienda ut ſtemus in die malo inconcuſſi, militantes bonam militiam, retinentes fidem & bonam conſcientiam.

SECUNDA PARS.

Patuit in Prima Parte, non defuiſſe Paulo, unde gloriaretur contra Pſeudo Apoſtolos, & quanta paſſus pro Eccleſiæ ſalute & nomine Chriſti. In hac Altera Parte idem demonſtrabitur ex curis quibusdam peculiaribus, quibus Apoſtolus implicabatur.

In quâ meditamur:

I. Quotidianam & non intermiſſam curam Apoſtoli pro omnium ſalute.

Præter hæc, inquit, enumerata, quæ rarius acciderunt Deo concedente, habemus otium ſive requiem interdum, ne retraherer ab officio docendi & plantandi Eccleſias, habeo commotionem quandam, curam, quâ afficior, hanc nunquam depono. Et cum ſolus videor otioſus, nunquam ſum animo otioſus.

L. C. Fidelis miniſtri Eccleſiæ animus egregiè depictus. Neq; enim in hoc conſiſtit officium, ut ſemper doceat & concionatur. Sed in hoc etiam eſt non parum ſitum, ut cogitet quomodo omnia benè ſe habeant, quomodo abuſus & errores tollantur & emendentur in Eccleſia ſine tumultu & turba, ergo expectant differunt quod intendunt, ſed apto tempore & occaſione commoda, oſtendunt quod meditati ſunt, & hoc cedit in Eccleſiæ bonum. Ita deſcribit Syrach prudentem Doctorem Eccleſiæ, cap. 39. v. 1. ſeq. ad finem cap.

curam.

L. C. Epiſcopalis muneris latitudo oſtenditur his verbis Apoſtoli: Curam gero omnium Eccleſiarum. Paulus erat Apoſtolus & Doctor gentium peculiariter, latiſſimè Evangelium propagavit, has Eccleſias, quas ille plantaverat, habuit pro ſuâ, ut nos loquimur, diœceſi, harum omnium curam geſſit quotidiè, quomodo ſtarent in fide ſemel accepta, nè rurſus excederent, & qui excederant quomodo revocarentur. Hæc cura jam eſt boni Epiſcopi. Quare Epiſcopi munus, dura eſt provincia, curam gerens omnium in Diœceſi Eccleſiarum. Pro hoc ergò officio etiam rectè orat in litania Eccleſia, vlz. ut Deus Eccleſiam ſuam ſanctam regere & conſervare dignetur, ut cunctos Epiſcopos, Paſtores & Miniſtros Eccleſiæ in ſano verbo & ſanctâ vitâ conſervare dignetur. Proſunt itaquè Eccleſiæ plurimum boni Epiſcopi ſive inſpectores omnium Paſtorum totius Diœceſeos, eſtq; verè Spiritus Sancti ordinatio, ut ſint in Eccleſia alii qui gradus inter miniſtros verbi diſtribuunt, ut ſint certarum Eccleſiarum certi Paſtores & miniſtri, ſint etiam ſuper hos conſtituti & eorum Eccleſiæ Epiſcopi & inſpectores. Hunc ordinem in Eccleſia ſervare conati ſunt omnes pii Magiſtratus, & quamdiu talis ordo ſervatur tamdiu non eſt metuenda per Dei gratiam tanta confuſio, quanta aliàs ferenda; Papatum quòd ſit totius Mundi Epiſcopus improbamus. Agamus Deo gratias, qui nos ab illius regno liberavit, fallacias illius AntiChriſti detexit per liberrimũ Eccleſiæ ſuæ organũ D. Lutherum, & deindè per Regem GUSTAVUM pri-

Primum & ſynceros Doctores; faxit Deus ut in hac luce religionis ambulare, nobis & poſteris liceat, ne propter ingratitudinem noſtram auferat nobis Deus verbum ſuum, & famem mittat, non panis, ſed audiendi verbum Dei. Et meritò Eccleſia canit: Serva Deus verbum tuum, Papam & Turcam deſtrue, qui Jeſum Chriſtum, filium tuum turbare volunt throno.

III. Apoſtoli compaſsionem

cum infirmis & ſcandalizatis. Quis infirmatur ait, & ego non reddor infirmior, quis ſcandalizatur & ego non uror, hoc eſt, ægrè & invitus fero & audio. Rident inſipientes & ſtulti homines, ſi quid ſtultè & temerè geratur in Eccleſia, ego autem aliter hoc accipio, quare etiam hinc non exiguam perturbationem experior, ſcio meos antagoniſtas Pſeudo Apoſtolos hoc non curare, ſed dicunt potius, qui moritur, moriatur, qui infirmatur, infirmetur, devorant alius alium, ut ſcribit Zachar. 11. de quibusdam paſtoribus, qui ita gregem ſuum negligentèr cuſtodiunt, & Chriſtus ut bonus paſtor novit ſuas oves, præcedit illis, paſcit illas". Joh. 10.

L. C. Boni Miniſtri Eccleſiæ, non lætantur confuſione in Eccleſia, & auditorum ſcandaloſa vita, non quidem mox in publicum proferunt, quod audiunt, decet verò aliquid mali accidere, in quo etiam imitari S. Apoſtolum Paulum debent: Orandum etiam ut omnia ita accipiant & audiant, ſicuti accipere debent, ut Deus excitet in nobis zelũ & ardorẽ in officio, ne frigidè & perfunctoriè eo fungamur, ut ſimus fervidi in ſpiritu. Rõ. 12.

IV. Relationis Apoſtolicæ

de his omnibus confirmationem. Gloriabor inquit

Apoſtolus ſicuti ſcio ex infirmitate mea, & omnia ſic ſe habere ut recito, invoco Deum juſtum, Deum qui eſt Pater Domini noſtri JEſu Chriſti in gloria in æternum. Et hic, inquit, ſcit quod non mentior.

L. C. 1. Juramento confirmare noſtram ſententiam, non eſt illicitum, cum neceſſitas ita poſtulat. Sicuti hoc loco difficulter credebant hæc de Paulo Corinthii, quod haberet aliquid, unde gloriaretur, putabant ſuos PſeudoApoſtolos longè majores eſſe & ſuperiores Apoſtolo Paulo. Hoc verò falſum eſſe & Apoſtolum Paulum verè eſſe Chriſti Miniſtrum & plus quam illi, confirmat Apoſtolus hac nominis Divini invocatione. Videndum ne nomen Dei in vanum aſſumamus quod fit perjurio, & nominis divini invocatione ad ſtabiliendum mendacium. Non enim inſontem habebit eum Dominus, qui nomen ejus in vanum uſurpat; Caveamus mendacia & amemus veritatem, & Deus pugnabit pro nobis. Syrac. 4.

L. C. 2. Sæpè ſit in ore noſtro hic loquendi ſermo, Deo Patri, Domini noſtri JEſu Chriſti, ſit gloria & honor in æternum. Hoc erit exercitium noſtrum in altera vita, ut cum angelis canamus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus DEus Zebaoth, pleni ſunt cœli & terra gloriâ tuâ. Eſa. 6.*

CLementiſſime DEus Pater cœleſtis, verbi tui Miniſtris & aliis pijs variæ offeruntur difficultates & moleſtiæ, â Diabolo, â malis hominibus, varia etiam pericula, de quibus omnibus liberari, ſine divina tua potentia non poſſumus. Tuam itaq; bonitatem cernui oramus, ut vires tribuas omnia perferendi & vincendi; Et ne nos inducas in tentationem, ſed liberes nos â malo,

ut ita

ut ita transeuntes per aquam & ignem, perveniamus in refrigerium, ut ſimus inſtar olivæ virentis in domo Domini. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui tecum & Spiritu S. vivit & regnat in æternum. Amen.

BEnedictio, & Claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum. Amen! Apoc: 7. v. 12.

QUÆSTIONES.

I.

QUia Lex Deut. 15. v. 3. jubet quadragenis plagis cædēdum maleficum, cur Judæi ſtatuerunt, ne amplius 39. plagæ infligerentur, ſicut & Paulus hic quinquies ejusmodi plagis affectum ſcribit? Reſp.

Antiqui Judæi ſtatuerunt facilius in defectu quam in exceſſu, ab hac lege exorbitare ideoq; pœnam cohibebant intra numerum quadragenarium; ita Junius in hunc locum. Quidam ſtatuunt ideò factum, ut malefico conſtaret remiſſione unius plagæ, veniam ſibi reſtare apud Magiſtratum. Plenarius verò numerus plagarum juxta legem eſſet ſignum mortis ſive pœnæ capitalis, ſi denuò puniendus in manus Magiſtratus veniret; ita Lucas Oſiander in hunc locum.

2. An.

2. An Paulus has afflictiones ſuperſtione quâdam aut hypocriſi ſibi attraxerit? R. Neg.

Ita quidem faciunt Monachi & ſimiles, qui corpus ſuum vigilijs, jejunis & flagris macerant (ſi tamen hodie re vera talia faciunt) ſed ea perpeſſus eſt patienter, quæ Dominus illis immiſit. Et hæc eſt vera crux ſancta. Etſi autem Paulus ſæpe humanis præſidiis deſtitutus & in pericula magna projectus eſt, tamen ipſius exemplo Dominus noſter docere voluit, quod in periculis & in rerum neceſſariarum penuriâ divinitus mirabiliter conſervare nos velit, donec vocationis noſtræ curriculum abſolvamus. Non igitur offendamur aut de veritate cœleſtis doctrinæ dubitemus, quando pios doctores aut Evangelij confeſſores, cum multis & magnis difficultatibus conflictari videmus. Et miniſtri Eccleſiæ, ſi in magnas difficultates inciderint, exemplo Pauli ſeſe conſolentur.